



4

1778, 10.

DE

# LEGE HOSTILIA

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISBVRGENS.

SOCIO

P. 10.

IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIII. MAII ANNO MDCCCLXXVIII.

DISSERTIT

HENRICVS GOTTLIEB SCHMIEDER

DIPPOLDISWALD.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMII.



DE  
LEGE HOSTILIA

ILLVSTRATIONVM ORDINIS GRATIA

BRASID  
D. CHRISTIANO HENR. BEEVING

PROFESSORIS PUBLICI ORDINIS IURIS ET HISTORICAE

ET SOCIETATIS LITTERARUM CURIAE

1801

IN AUSTRIAE IMPERII ACADEMIA SCIENTIARUM  
PHILOSOPHICAE


DE IURIS NATURALIS ET GENTIUM

DISSERTATIONE  
HENRICVS GOTTLEB. SCHMIEDER

DISPOSITIO

LEPSIAE

EX OFFICINA PARSCHKE





MYNEN  
TEDER GELIEFDEN OOM  
DEN HEERE  
IOHAN CHRISTOPH  
STEEGER

IN AMSTERDAM

TOEGEEIGEND.



LEBENS-GEWÄHN  
VON  
EDER GELIBDEN OOM  
DEN HERRN  
IOHAN CHRISTOPH  
STEEGER  
IN AMSTERDAM

TOESENDE

1711





HOOG GEACHTE HEER!

ZEER GELIEFDE OOM!

**W**elk een vergenoegen is het niet voor my, dat ik regenwoordig myne dankbaarheid voor alle die gene- genheid, die UE. my door zoveele egte preuven hebt gelieven te bewyzen, voor UE. meer als vaderlyke liefde te mywaards opentlyk aan den dag kan leggen, ik zou eene zeer laage ziel met my moeten omdragen, en my aan de grootste en zwaarste ondankbaarheid schuldig maken, indien ik deeze gelegenheid stilzwygend wilde laten voorbygaan. Het is waar, deeze weinige Letteren zyn lange niet in staat al dat gevoel van dankbaarheid, het welk in myn ziel opsteigd, uit te drukken, egter zullen dezelve, hoop ik, UE. overtuigen, dat ik gaerne, indien het in myn vermo- gen stond, ook meer wenschte te doen. Ondertus- sichen, beste Oom! zie hier de eerstelingen myner stu- dien. Myn hart eigent dezelve UE. toe, en ik ge- loof, dat ik my daar door van veelen anderen onder- scheid, welker hart by hunnen toeigenings schriften niets voelt. Geroert van de weldaden, die UE. my bewe-  
zen



zen hebt, heb ik geen ander oogmerk, als UE. opent-  
lyk daar voor te danken, en die wenschen te herhalen,  
die ik nooit zal ophouden voor UE. welzyn en geluk  
te doen. ieder — iaar en de Hemelschen UE. nog vee-  
len — brenge UE. nieuwe zegen, en nieuwe vrengde.  
inhet byzonder is myn vuurige wensch, dat myne ge-  
liefde Tante binnen kort tot haare voorige gezond-  
heid wederom hersteld zynde, met UE. het zoete en  
aangenaame van eene ongestoorde te vredenheid mag  
genieten. Mogten dog deeze wenschen verhoort  
worden, en ik by UE. voortduurende liefde en gene-  
genheid, die ik my immer meer en meer zal zoeken  
waardig te maken, dat geluk, waarop ik hoop, dee-  
lagtig worden! — Met waare hoogachting en schul-  
dige eerbied heb ik de eer te zyn en te blyven

HOOG GEACHTE HEER!

ZEER GELIEFDE OOM!

Leipzig,  
den 13 May  
1778.

UE. GEHOORZAAMSTE DIENAAR EN NEEF

HEINRICH GOTTLIEB SCHMIEDER.





AD  
**LEGEM HOSTILIAM**  
OBSERVATIO.

---

§. I.



Fuit labor multorum Iurisperitorum non sper-  
nendus, quem in originibus, causis, occasio-  
nibus Legum, Plebiscitorum, Senatus con-  
sultorum, imo omni historia enarranda po-  
suerunt. Sicuti vero is labor multum lucis  
Iurisprudentiae affudit atque accuratiorem  
interpretationem legum iuriumque produxit; ita sane spe-  
ro, fore, vt taxationem haud mereamur, si quantum fieri  
potest,





potest, in summa rerum obscuritate atque monumentorum historicorum, defectu, quae coniecturis adsequi probabilibus possumus, de *Lege Hostilia* dicamus, cuius legis vnica apud IVSTINIANVM mentio fit in *pr. I. de iis, per quos agere possum*: et de qua lege omnia prope ignorantur.

§. II.

Quis huius Legis autor sit, liquido haud constat. Mirum itaque non est, varias eruditorum inuentas esse coniecturas. Omnium ridicula est opinio *Ios. NERII* in *Analect. I. 26.* qui ab hostibus nomen accepisse putat. Darem, si inter Glossatores *Nerius* referendus, his enim conuenit *Falcidiam* a *falce* et *Hostiliam* ab *hoste* deducere. Sed non eget opinio *Nerii* refutatione. Alii *VI FRANC. HÖT-MANN* de *Legib.* et quem sequitur non laudatum *HEINECIVS* in *Histor. Iur. L. I. §. LXXXV.* A *Hostilium Mancinum* cum *A. Atilio Serrano* *Coſ. A. V. C. DLXXXIII.* autorem faciunt, non addita alia probatione, quam quae ex nominis itenditate desumpta est. Obiiciunt alii, eandem dicendam fuisse legem *Hostiliam Atiliam*, quippe consulares leges ab utroque Consule nomen obtinerent. Largior, plerumque ita praesumi de *LL. Consularibus*, ut eas, quae ab vno latore nominantur, vel plebiscita vel Dictatorias habeant. Sed hanc regulam fallere, facile probari potest. Cui enim ignotae sunt Leges *Sextiae Licinae* *A. V. C. CCCLXXXV. CCCLXXXVI. et CCCLXXXVII* latae. Has, si ex nomine iudices, consulares essent habendae, quae tamen plebiscita, ut patet ex *LIVIO. VI. 35 et 39.* Quem fuit Lex *Duillia Maenia* pariter a *M. Duillio* et *L. Maenio* tribunis plebis rogata. Contra *A. V. C. DLXXVII* *Claudia* lex





lex: *de sociis* lata, cuius autor C. Cladius Pulcher Consul fuit, quae ex illa regula *Clandia Sempronia* nominanda fuisset. Nec incognita est Consularis illa *Fannia Lex Sumtuaria*, cuius autor C. *Fannius Strabo* Consul cum M. Valerio Messala. Amplius A. V. C. DCXXXIX Lex *Aemilia* cibaria perlata est, quae nomen a Consule *M. Aemilio Scauro*, cui M. Caecilius Metellus collega fuit, habet, nec *Aemilia Caecilia* nominata. Praeterea *Aurelias* inuenimus a C. Aurelio Cottalatas, *Tulliam* a M. Tullio Ciceronae et alias. Satis est, his exemplis probari, leges Consulares saepe etiam ab vno Consule nominari, vt fallat regula, quasi ex nomine, legis qualitas certo possit iudicari.

§. III.

Quamquam vero haec omnia recte se habeant, non tamen nos peccaturos arbitror, si κατὰ τὸ πλεῖστον factam sequamur regulam. Negari enim nequit, plerasque consulares ab vtroque nominari Consule, tribunicias ab vno. Non ergo ex exceptione, sed ex regula iudicium in ambiguo ferendum. Quare procliuior in eam sum sententiam, quae plebiscitum habet. Coniicio: PIGHIUS in Annal. ad A. V. C. DLXXX refert Aedilem curulem Q. *Hoftilium Tubulum*. Ad Aedilitatem vero aditum parabat vel Quaestura, vel Tribunatus: cum de huius Q. *Hoftilii Tubuli* Quaestura nihil constet, non omni probabilitatis specie destituitur coniectura, eundem ante A. V. C. DLXXX et forsitan post annum DLXXV Tribunatum gessisse. Sed coniectura est, et in tanta rerum incertitudine cuius suum relinquendum est iudicium, imo antiquiorem illam fuisse legem





legem probabilis est temporibus et Hostili Mancini et Hostili Tubuli vt infra dicamus.

§. IV.

Sicuti autem autor incertus, ita aetas certa esse nequit. Forsitan coniectura aliquid assequamur, si, quae cum argumento huius Legis coniungenda sunt coniungamus. Necessè itaque est, vt primum de argumento ipsius Legis quaedam dicamus. Diximus omnia ignorari praeter ea, quae apud IUSTINIANVM in *proem. Inst. de iis per quos agere possumus*, leguntur. Seruauit nobis Imperator argumentum legis; an integrum, ignoramus. Verba sunt: LICEAT FVRTI AGERE EORVM NOMINE, QVI APVD HOSTES SVNT AVT REIPVBLICAE CAUSA ABSVNT, QVIVE IN EORVM CVIVS TVTELA SVNT. Res videlicet eo redit: olim permissum haud erat, vt per procuratorem quis pro tribunali comparere posset. Obseruat EVERH. OTTO in *Comment. ad Inst. L. IV. Tit. X. ex QVINTILIANO Lib. II. cap. XVI. ex Iure Graeco in XII. Tabul. relatum esse hoc ius tanto quidem rigore, vt ne quidem ob morbum fonticum, vel infirmam valetudinem liceret Procuratorem dare teste GELLIO in *Noſt. Attic. L. XX. cap. I. Unica mihi sedet dubitatio: Cedo, rigorem, et quae de iumento dando in ius vocato sancita sunt, ex graeco iure depromta esse; sed non arbitror ante LL. XII Tabul. licuisse per procuratorem agere et pro tribunali comparere, nisi forsitan quod a Romulo Ius Patronatus introductum in hunc censam parum accurate referre velis. Quamquam autem procuratores incogniti Romanis olim; tamen non incogniti fuere cognitores de quibus**





praeter alios tractat HEINECCIUS in *Antiquit. Iur. L. IV. Tit. X.* Inuenit postea cauta Iure Consultorum industria fictione in auxilium vocata medium, quo admitti possent in priuatis causis procuratores. Dominum litis fingeant procuratorem, de quo dominio satis docte egit BOEHMERVS in *diff. de dominio litis.* At quo tempore haec fictio Iureconsultorum inuenit procuratorum officium, nullibi determinatum satis videtur.

## §. V.

Ignoratur tempus, quo originem coeperunt procuratores. Verosimile est, doctrinam de procuratoribus antequam Romanorum opes atque potentia creuerat, vix cognitam fuisse. Docet experientia, ciues, quibus res domi angusta est, ad iurgia atque lites rariores habere causas. Crescentibus opibus atque diuitiis, frequentiora sunt iurgia et lites. Neque id mirum esse viderur, cum rerum communis penuria impedit inuidiam habendique cupiditatem ad bonorum copiam augendam. Simulac vero obiecta augentur, quae inuidiam habendique cupiditatem imo fraudis occasionem excitant, augentur simul iudiciorum labores. Iam vix ante bellum Punicum secundum antiqua illa romanorum egestas plene cessauit, imo etiam praesentia pericula bellorum causas litium reprimere poterat. At post illa tempora, cum vbique extra Italiam potentia Romanorum sibi terras occupando acquireret atque occupatas prouincias expilaret, quasque posset opes corradere, Romanque transferret; videor concludere posse, lites inter ciues, quae de priuatorum causis agitabantur, frequentiores fieri coepisse. Iam conicio, post ea tempora





et paulo ante bellum Carthaginiense III. procuratorum officia inuenta esse, vel si iam fictio illa excogitata, saltem frequentiora facta esse.

## §. VI.

Sed quid nobis cum Procuratoribus? Multum sane, nam procuratoribus inuentis et frequentius constitutis, defuisset causa *Legis Hostiliae* ferendae, maxime cum Praetor postea daret restitutionem in integrum ex capite absentiae. Concludo itaque, post tempora belli Punici secundi, latam esse debere Legem Hostiliam, quia forsitan officium procuratoris inuentum inutilem fecisset legis curam: imò, quamvis supra non alieni fuimus, qui Q. Hostilium Tubulum tribunum plebis autorem suaforemque coniciebamus, tamen non repugnat, quippe post A. V. C. d'c demum tertium bellum Punicum initia cepit. Sed nudam fecimus ibi coniecturam et magis procliuus sumus, quod et supra obseruauimus antiquiorem esse legem et neque A. Hostilium Mancinum neque Q. Hostilium Tubulum autores habendos, potius intra belli Punici secundi tempora latam esse, alique Hostilio existentiam suam debere. Eo enim tempore et in bello captorum magna ciuium copia et maior eorum numerus, qui pro republica absentes erant, occasionem ferendae legis dare poterat.

## §. VII.

Quod ad ipsum argumentum legis pertinet, permittum erat agere eorum nomine I. qui apud hostes erant II. qui reipublicae causa aberant III. qui in eorum cuius tutela essent. An vero procurator admittendus ex hac lege praecipiat ex verbis Iustiniani non liquet. Nam si cum  
reliquis





reliquis coniungamus causas, in quibus aliorum nomine agere licebat, procuratoris persona non deprehenditur. Alieno nomine agebatur pro populo, pro libertate et pro pupillo. In his tribus speciebus procuratoris officium non deprehenditur: Procurator enim mandato constituitur, neuter eorum, quorum mentionem fecimus, mandato constitutus, admittitur tamen, qui populi causam acturus, vel qui vindicem seu adfertorem in libertatem agere volebat, cum ipse servus res in iure seu pro tribunali comparere haud posset, neque pupillorum causa per eos peragi poterat, nec opus mandato tutori, quem vel patris voluntas, vel legis autoritas vel tandem subsequenter temporibus magistratus extraordinaria iurisdictione constituerat. Sic et arbiter in argumento legis Hostiliae statuendum. Videtur lex *defensorem* magis intelligere, quam *procuratorem*, quem quidem expresse non excludit. Inde conicio, quod, qui apud hostes erat in captiuitate, romanis etiam servus habebatur, qui, cum nec ipse pro tribunali standi habuisset ius, nec alii qui suo nomine ageret, mandare potuisset.

§. VIII.

Neque vero in omni causa pro eo, qui apud hostes erat vel absentis reipublicae causa defensor admittebatur, solum *furti agere permiffum erat*. Hinc absque dubio venit, ut Praetor argumentum legis sumeret edicti causam de *restitutione absentium*. Patet statim ex verbis primi capitis edicti Praetoris, quod nobis *VLPIANVS* servauit in *L. I. §. I. π. ex quibus caus. maior. XXV. annis*. *Si cuius quid de bonis, cum is metu, aut sine dolo malo, REIPUBLICAE CAUSA AB ESSET: INVE VINCVLLIS, SERVITVTE HOSTIVM.*

B QVE







*QUE POTESTATE ESSËT.* caet. et paulo post: *aut quod non utendo amisit, consecutus, actione qua solutus ob id, quod dies eius exierit, cum absens NON DEFENDERETVR.* Inventis vero postea procuratoribus argumentum legis extensum ad procuratores esse, quamvis Praetor restitutionem neget ei, qui procuratorem habuit, ut patet ex PAVLO in *L. 39. π. eod.* Scribit: *Is, qui Reipublicae causa ututurus erat, si procuratorem reliquerit, per quem defendi potuit, in integrum volens restitui, non auditur.* et VLPIANVS in *L. 21. §. 2. eod.* consentit: *Nam, inquit, si fuit procurator, cum habueris, quem conuenias, non debet inquietari.* Sed diuersa causa est *L. Hostiliae*, diuersa Praetoriae restitutionis in integrum. Confirmant haec, quae supra monuimus, legem Hostilianam de procuratore proprie non intelligendam, sed per interpretationem, cum postea frequens fieret procuratorum officium eos quoque admissos, ut pro absente reipublicae causa, vel qui in eius tutela, furti agere procurator posset.

§. IX.

Diximus quaedam de Praetoria restitutione eorum qui maiores XXV annis, cuius quidem originis causam nostrae Legi tribuimus in tantum, ut latius extenderet Praetor aequitatem suam, qui omnibus succurrebat auxilio extraordinario, qui vel absentes pro Republica, vel in vinculis, vel in seruitute, non defensi detrimentum in bonis passi, cum Lex Hostilia tantum permitteret, ut absentes illi, vel captiui, vel qui in horum alicuius potestate essent, possent per amicum defendi, quod ex veteris iuris analogia non licuisset, qua pro alio nemini agere licebat; sed nec illa defensio ad alias porrigenda causas, restricta solum ad furti actio-





actiones, si passus furtum absens, vel captivus. Iam ex verbis TERENTII in *Phormion. Act. II. Sc. IV. vers. 10. 59.*

*Si hoc videtur: quod TE ABSENTE hic filius,*

*Egit, restitui in integrum aequum est et bonum,*

*Et id impetrabis.*

coniiciunt docti homines, edictum de restitutione absentium antiquius Terentio, cuius Phormio dicta fabula peracta est circa A. V. C. D X C II. ludis Megalensibus. Monet quidem HEINECCIUS in *Antiqu. L. I. Tit. XXIII. §. VII. not. d.* forsitan agere Terentium de restitutione patris non filii. Dubito vero, an hoc monitum opinioni communi obsit. Sit, ut restitutio patri data sit, data tamen ob *absentiam* eius, per quam pater in suo laesus iure, et saltem pater Comicum respexisse ad remedium restitutionis, quod iam suo tempore cognitum, quamvis non omnino ex iurisdictione applicatum. Saepe observavi recentiores et comicos et alios veteres scriptores coeco quasi impetu ita sequi, ut ex iis iurium argumenta ducant, probent, explicant: quasi omnes acutissimam iurium peritiam et subtilitatum Legum cognitionem habuerint, quod tamen credibile non est, sed saepe ex vulgi opinione scribebant. Nec nostris temporibus aliter res comparata. Quot enim in scriptis acutorum et in bonis literis egregie doctorum libellis et fabulis interdum deprehendimus sententias quasi receptas et iuri accommodatas, quas si examines ad iuris nostri rationes, quae in his deprehenduntur monstra, quae nec Africa proferre potuisset. Sed id mirandum non est, imperiti iuris scribebant ex vulgi opinione et errabant, nec digni visis, qui corrigerentur a Iureconsultis, qui acutis illis naeniis raro delectantur. Nec aliter veteres. Sed haec *ως εν παρόδω.*





## § X.

Tandem ad progressum. Quamquam admissi procuratores in foro fictione domini adhibita, tamen non videtur Lex Hostilia ex usu venisse. Nam et absens procuratorem non constituens poterat furto laedi, ut amicum defensorem admittere furti agentem absentis nomine necesse fuerit. Fori nostri nullus legis usus, cum actio furti romana in usu esse desierit, imo abrogata videatur, cum furtum ex Carolina Nemesi potius inter publica delicta referendum in quibus actiones cessant, sed vel accusatione instituta furtum persequendum, vel inquirendi iudicis officio relinquitur, nisi ad conditionem furtivam utiliter applices, quae actio nostris Legibus noviter confirmata.





ULB Halle  
004 800 265 3



f


TA 70L

VD  
18









4

1778, 10.

DE  
**LEGE HOSTILIA**

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

**D. CHRISTIANO HENR. BREVNING**

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVURGENS.

SOCIO

*P. 10.* IN AVDITORIO IVRIDICO

DIE XIII. MAII ANNO MDCCCLXXVIII.

DISSERIT

**HENRICVS GOTTLIEB SCHMIEDER**

DIPPOLDISWALD.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMII.

